



G. C. Dibvad.


Theses de lege Dei.


Hafn., 1610.












BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

THESES DE LEGE DEI,

DE QVIBVS, DEO VOLENTE, DISPVtabitur 30. Aprilis.

à

GEORGIO C. DIBVADIO.

Respondente.
Georgio Iacobi.



HAFNIÆ
Typis Henrici Waldkirchii.

M. DC.



I.

PLura ſunt, quæ Eccleſiæ conſeruationi, dum hanc fluxam vitam agit, & à Domino peregrinatur, inſeruiunt, & vſum neceſſarium præſtant.

II.

Inter hæc, vt primum locum tenet doctrina, ita de ea prima noſtra erit diſquiſitio, & ita quidem, vt à legis doctrina auſpicemur.

III.

Sed quia latè patet hoc argumentum, & plura complectitur, quàm vt totũ, hoc tempore, tradi poſſit, aditum nobis, ad Decalogi expoſitionem, nunc parabimus, inuocato legum authore DEO, vt is nos, Spiritu ſuo, ſemper dirigat, in via veritatis & iuſtitiæ, per Christum Dominum noſtrum. Et præfationis loco, de his tribus dicemus, 1. Quæ ſint partes legis diuinæ. 2. Qui ſit vſus. 3. Quomodo abrogata ſit lex per Meſsiam.

IV.

Definiri quidem lex in genere poteſt, ſiue à ligando, ſiue à legendo, ſiue etiam à deligendo ſic dicta ſit, quod ſit ſententia, qua vel præcipiatur, vel prohibeatur aliquid, addita promiſsione præmij, ſi præſtetur obedientia, aut comminatione pœnæ, ſi violetur. Vel, vt eſt apud Cic. quod ſit ratio ſumma in natura inſita, quæ iubeat facienda, prohibeatq; contraria: ſeu, recti præceptio, prauiq; depulſio.

Sed



V.

Sed noſtrum conſilium eſt, de lege diuina, quæ propriè ſic dicitur, agere, tres eius conſtituentes partes, quæ ſunt Moralis ſeu Decalogus, Ceremonialis ſeu Eccleſiaſtica, iudicialis ſeu forenſis vel politica.

VI.

Lex moralis eſt doſtrina, congruens cum æterna & immota ſapientia,& regula juſtitiæ in Deo, præcipiens quales nos eſſe,quæ facere,& quæ omittere oporteat, inſita naturis rationalibus,in creatione,& poſteà ſæpè repetita & declarata,voce diuina,in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis,cum obligatione ad perfectam obedientiam & conformitatem cum Deo, qui vt promittit felicitatem & vitam præſtantibus obedientiam, ita ab ea deficientibus minatur mortem & quæuis mala, niſi fiat remiſsio propter mediatorem.

VII.

Ideo dicimus æternam eſſe hanc legem, quia ſemper cum Deo fuit, & in Angelis, qui non ſunt lapſi, & in ſanctis hominibus,qui ſpiritu Dei reformantur, perpetuò vigebit.

VIII.

Etſi enim peculiares quædam actiones, quæ legibus Decalogi ſanciuntur, in altera vita non vſurpabuntur,tamen vigebit genus,& vim obligandi perpetuò retinebit. Finem quidem habebit miniſterium verbi, ſed celebratio Dei non intercidet. Ceſſabit coniugii vſus, ſed caſtitas non interibit.

IX.

Nec eſt hæc lex, quæ moralis dicitur, aduentitia quædam vis, quæ doctrina aut conſuetudine,

& vſu tantum ſit comparata, ſed eſt natura nota, & in ipſa creatione inſculpta. Sunt enim homines ad imaginem Dei conditi, cuius imaginis viva & incorrupta expreſsio eſt in lege.

X.

Quia execrabiles pronunciantur, qui non permanent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in lege, Gal. 3. 13. Et dilectio ex toto Corde, tota anima, & cunctis viribus requiritur, Deut. 6. 5. Sequitur perfectam eſſe eam obedientiam, quæ in lege poſtulatur.

XI.

Leges Ceremoniales ſunt præcepta à DEO tradita, de ritibus externis & ſacris ſolennibus, diuini cultus gratia, vel propter ſignificationem, vel propter ordinem inſtitutis.

XII.

Forenſes ab eodem authore profectæ ſunt, & diſciplinam externam, in gubernatione politica, tuentur.

XIII.

Ac diſtant hæc duo genera legum, multis modis, à legibus moralibus.

XIV.

Nam leges morales naturâ ſunt notæ, ac omnes homines, abſq; locorum & gentium diſcrimine obligant, flagitantes obedientiam, & in hac vita, & in futura. Sunt generales, nec circumſtantiarum ratione determinantur. Et aliarum legum fines ſunt, ut cultus Dei principalis.

XV.

Reliquæ autem, Ceremoniales & forenſes, non ſunt naturâ inſitæ hominum mentibus, ſed pro diuerſi-

diuersitate causarum & circumstantiarum præscribuntur. nullis nisi Iudæis impositæ fuerunt. vt certo tempore sunt latæ, ita rursum abolitæ sunt. Typi & imagines sunt aliarum rerum. Seruiunt præceptis moralibus, & ipsis etiam, cum necesse est, cedunt.

XVI.

Quæ de discrimine legum dicimus, planiora fient in expositione vsus, quem singulæ præstant.

XVII.

Primùm ergò expendemus, quid negotii cuique sit, cum lege morali, Deinde de reliquis speciebus monebimus.

XVIII.

Homines, quibus Decalogus prædicatur, vel sunt renati, vel à renouatione adhuc exclusi, pro qua discrepantia, alius est eius vsus in diuersis, alius communiter ad omnes relictus.

XIX.

Interim non est prorsus transeundum, qualis fuerit vsus legis, ante lapsum humani generis in peccatum, & qualis futurus sit, post restitutionem hominis in integrum. Etsi enim utrumq; à nostro sensu, quodam modò, abiunctum est; tamen prodest etiamnum considerare, quid sit amissum, quid expectetur. Et dum in hac contemplatione insistimus, duplex occurrit eius finis. Primus est integra hominis conformitas cum Deo, seu perfecta obedientia coram Deo, lucente in mente hominis perfecta Dei & voluntatis diuinæ cognitione, qua inclinationes & actiones omnes, ad ordinem diuinum, qui in lege consignatus est, diriguntur.

Secundus, bona intemerataque conscientia, & certa fiducia fruitioque beneuolentiæ diuinæ, cum suaui & iucunda animi, in Deo, sine perturbationum iniuria, oblectatione.

XX.

Cùm nosipsos consideramus, quales sumus in hac vita, occurrit singularis quædam legis utilitas, quæ communis est omnibus, & eò pertinet, ut recta sit gubernatio locomotiuæ, qua externa facta legi morali quadrent. Ac solet hic vsus politicus seu pœdagogicus dici, quod frænet omnes, ne sublato ordine diuinitus sancito, dissipetur humani generis societas.

XXI.

Pertinet quidem hic vsus præcipuè ad eos, qui non sunt spiritu Dei renouati, & pœnarum ac infamiæ metu potius mouentur, quam Dei amore, tamen in reliquis etiam locum habet.

XXII.

Nam vtut hi fræno Spiritus sancti retineantur, & spontè, quæ recta sunt, meditentur & obeant, propter infirmitatem tamen, qua ad peccandum pelliciuntur, opus habent eodem vinculo.

XXIII.

Atque de hoc vsu concionantur plurima scripturæ dicta. Gen. 9. 6. Qui effuderit sanguinem hominis, eius sanguis effundetur per hominem. Matth. 26. 52. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ezech. 18. 24. Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur propter illam.

XXIV.

Secundus vsus appellatur internus, quod in inter-

internum hominem, ſeu animum hominis penetret, ſecuritatem carnalem feriat, & peccati velum corripiat.

XXV.

Hinc Paulus. Per legem agnitio peccati, Rom. 3. 10. Lex ſubintrauit, vt peccatum fieret abundans peccatum, 5. 20. Priuſquam lex veniret, peccatum in me erat mortuum: ubi autem aduenit mandatum, reuixit peccatum, 7. 8. Vt peccatum, per mandatum, fieret ſupra modum peccans peccatum, 7. 19. Stimulus mortis peccatum, vis autem peccati lex, 1. Cor. 15. 56.

XXVI.

Vt hic vſus magis ſe exereret, in Eccleſia, vbi noticia legis, per peccatum & creſcentem hominum malitiam obſcurata fuit, Deus, per Moſen, & patres ac prophetas, & tandem etiam per filium & Apoſtolos, repeti & declarari voluit, vt quæ eſſet natiua eius ſententia, planiùs intelligeretur.

XXVII.

Et licet, extra Eccleſiam, nuſquam proponatur integrè vox legis, tamen hic eius vſus ad omnes pertinet, quia omnibus tantum de eius notitia inditum eſt, quantum ſatis eſt, ad incutiendum conſcientiis terrorem.

XXVIII.

Vterq; ergó hic vſus diligenter obſeruandus eſt, volentibus ſibi viam ad Chriſtum ſterni, & reipſa ſentire, quòd lex ſit pœdagogus ad Chriſtum.

XXIX.

Hac de re paſsim commonefaciunt nos literæ diuinitus inſpiratæ. Pſalm. 34. 19. vicinus eſt Iehoua fractis ſeu contritis corde. Ieſa. 66. 2. Reſpiciam

ſpiciam ad pauperem & contritum ſpiritu, & trementem ad verba mea, 1. Ioh. 3. 8. Nemo vos decipiat, qui facit peccatum, ex diabolo eſt.

XXX.

Tertius vſus ſpiritualis ſeu didacticus vocatur, ad hominem ſpiritualem, hoc eſt, iuſtificatum fide & renatum per ſpiritum ſanctum, pertinens. Huic enim lex, vt certa norma viuendi, & informatio ad veros Dei cultus, proponenda eſt.

XXXI.

Quia enim, etiam in his, reliqua eſt ignorantia, & dubitatio multiplex, & ſubinde exiſtunt inclinationes voluntatis ad vitia, neceſſaria ſunt legis adminicula, qua inſtruantur, ne vel, nullo præeunte veritatis lumine, errent, vel videntes quod rectum eſt, in tranſuerſum agantur.

XXXII.

Ac de hoc vſu, ſæpe occurrunt ſcripturæ teſtimonia. Pſalm. 49. 9. Lex tua in medio viſcerum meorum eſt. Et 119. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis. Ierem. 31. 33. Dabo legem meam in medio eorum, & in medio eorum deſcribam eam. Ezech. 20. 19. In præceptis meis ambulate.

XXXIII.

Ita purè & incorruptè ſonans vox legis, haud obſcurum teſtimonium eſt de populo Dei, quis ille ſit, & quæ vera religio in mundo.

XXXIV.

Hinc etiam videmus, tanquam in terſiſsimo ſpeculo, quanta fuerit noſtra excellentia ante lapſum, quanrq; eximium ſit illud bonum, quod ſperamus, per Chriſtum, in vita æterna, cum veterem

noſtram

nostram dignitatem recuperabimus. Nam viua Dei imago, ad quam initio conditi sumus, & quæ nobis, per Christum, restituitur, in lege refulget, quam quò clariùs quisq; exprimit, eó propiùs ad Deum accedit, & ipsum pleniùs refert.

XXXV.

Habuêre etiam leges Ceremoniales & forenses suas vtilitates, apud Iudæos, & eos, de magnis rebus, commonefecerunt.

XXXVI.

Exhibuerunt typum & significationem rerum, quæ spirituale & cœleste Christi regnum concernunt, & quæ essent Christi, in suam Ecclesiam, beneficia, quod fidelium, erga eum, officium adumbrarunt.

XXXVII.

Neq; ideò tamen inuoluenda sunt à nobis omnia Allegoriis. Nam quod fidei & dilectioni analogum non est, explodi debet, & pro certis ac indubitatis Allegoriis, ex quibus dogmata probentur, illæ solæ habendæ sunt, quæ ex scriptura probari possunt, quæ autem in scriptura, in specie, non sunt declaratæ, de iis, in generali significatione, subsistendum est.

XXXVIII.

Notæ erant & signa, quibus populus DEI, ab omnibus aliis gentibus & nationibus, discernebatur. Nam oportuit verum Deum, & veram religionem, ab idolis & hominum commentis seiungi, & conspicuum, in terris, esse locum, qui sedes esset Ecclesiæ, vt ex euidentibus indiciis agnosci posset, & iuuari ab eis, qui se ei associare vellent, vt Deut. 4. dicitur, Custodite ergò & facite, quia

hæc est sapientia vestra & intelligentia, in oculis populorum, qui audient omnia statuta ista, & dicent, vtiq; populus sapiens & intelligens est gens magna ista. Quæ enim est gens ita magna, cuius sunt statuta iusta, sicut est vniuersa lex ista, quam ego præcipio vobis hodie.

XXXIX.

Ac quanta esset, hac etiam in parte, à gentibus separatio, apparet ex dissimilitudine, quæ occurrit in sacrificiis, (vt hæc exempli causa nominemus) in quibus gentes etiam se crebro exercuerunt. Hæ enim non vni DEO, sed infinitis, non solum bruta animalia, sed & homines, nec loco, à DEO, constituto, nec tempore definito, nec modo debito, nec per sacerdotes diuinitùs vocatos, nec in finem quem Deus præstituerat, sacrificabant.

XL.

Seruiebant eædem leges executioni ac obedientiæ præceptorum moralium. Nam ut ordo aliquis in Ecclesia & politia seruari posset, necessario erat aliqua determinatio addenda, ad generales sanctiones, & in circumstantiis limitatio facienda, quid in ceremoniis, quid in iudiciis fieri deberet. vt enim morale est, vt sit publica inuocatio & celebratio Dei, ita etiam morale est, vt sint certæ leges iudiciorum, contractuum, pœnarum. In his ergò quid fieri vellet, sua voce exposuit in veteri testamento Dominus, in nouo liberum reliquit, vt pro ratione circumstantiarum constititiones, huic ordini conseruando maximè accommodatæ, conderentur. Ita tamen debent omnia fieri, vt

Cere-

Ceremoniæ primæ tabulæ, leges forenses secundæ sint appendix, & rectius præstandæ adminiculum.

XLI.

Quàm paratus esset aliquis, ad præstandam Deo imperatam obedientiam, indè etiam intelligebatur. Nam qui in iis, quæ difficilia sunt, onerosa & molesta, se studiosè & libenter exercet, quia scit DEVM ita velle, & ea de re extare eius mandatum, is verè se diligere Deum, eiq; propenso & alacri animo parere ostendit.

XLII.

Et vt Ceremoniales leges ad conseruandum ministerium verbi publicum, cuius, omnibus temporibus, eximiam esse reuerentiam, Deus voluit, pertinebant: ita forenses, quandoquidem erant ipsa politiæ Mosaicæ forma, conseruationi politiæ & regni seruiebant.

XLIII.

Cum tanta sit vtilitas legis à Mose latæ, mirum videri potest, quòd abrogata nunc esse dicatur. Quare, quomodo illud intelligendum sit, modò exponemus.

XLIV.

Neque enim de omnibus partibus legis, eodem modo accipienda est illa abrogatio. Nam aliæ simpliciter, aliæ certa tantum ratione & modo sunt abolitæ.

XLV.

De lege morali ita sentiendum est, quòd non simpliciter, sed secundum quid, abrogata esse dicatur. Ac quod ad maledictionem, quam denunciat, & rigorem attinet, piis nihil incommodi affert.

Neq; enim hi ob defectum, quem in se sentiunt, exhorrescere & animo trepidare debent, quasi sint abiecti à DEO. Nam propter meritum & satisfactionem filii absoluuntur, ex gratuita Dei bonitate & clementia, condonato defectu.

XLVI.

Ita enim ipsa scriptura discernit, inter obligationem quam lex indicit, vt affirmet eam, quod ad pœnam esse abolitam, quod ad obedientiam verò, manere, vt instet & studium nostrum vrgeat & acuat.

XLVII.

Testimonia plura sunt, sed valde insigne est quod legitur 1. Timoth. 1. 8. Scimus (inquit) bonam esse legem, si quis ea legitimè vtatur, cùm hoc exploratum sit, legem iusto positam non esse, sed legis contemtoribus, & iis, qui subiici nolunt. Quid clariùs dici potest, quam legem iusto positam non esse, vt voce legis damnetur: sed ita positam esse, vteam semper respiciat iustus, tanquam consiliorum & actionum regulam, & ei conformari studeat, ac inchoationem quandam habeat non rudem, nec exiguam, eius iustitiæ, cuius perfectionem in altera vita assequetur.

XLVIII.

Alienum est dicere, nos ab obedientia legis eximi, cùm propterea liberemur à peccati onere, & à Deo in gratiam recipiamur, vt studiosi simus bonorum operum, & per legis institutionem, eam viam, quæ sancta sit & immaculata, ingrediamur.

XLIX.

Nec obscurum est, iniquè grauari hanc doctrinam, si eo nomine culpetur, quasi ii simus, qui

vitæ

vitæ curſum piè iuſteq; inſtituendum eſſe negemus, & putemus fas eſſe, ſacroſanctum Dei nomen ſceleribus impunè violare.

L.

Neq; enim peccatorum ſimilis eſt Deus, qui tranſgreſsionem legis à ſe latæ probet, & maleficiis delectetur, ſicut perſpicua ſunt hæc teſtimonia. Pſal. 5. 5. Non volens Deus iniquitatum tu es. Et 50. 21. Putaſti me ſimilem tui eſſe, arguam te.

LI.

Et quia à mente humana, in hac naturæ corruptione, & deprauatione morum, ob quam nonnunquam ea quæ vitioſa ſunt, propterea quòd longa conſuetudine ſint confirmata, pro lege naturæ recipiuntur, comprehendi legis diuinæ vera agnitio ſatis non poteſt, nec ita obiri, vt externa actio ex puro fonte prodeat, quemadmodum neq; oculus ſolem, ſiue luce ſolis, intueri valet, agendæ ſunt Deo gratiæ, pro legis promulgatione, veraq; in diuinis libris declaratione, & ad noſtrum vſum conferendum eſt tantum beneficium.

LII.

Atq; ideò ea opera à nobis danda eſt, vt per hanc viam ſaltem ambulemus, ſi currere non poſſumus, cogitantes eum, qui inſitus eſt Chriſto, initium ſanctificationis habere, & eſſe in via conſtitutum ducente ad vitam.

LIII.

Quod autem fideles, qui reconciliati ſunt cum Deo, id præſtare teneantur, vt ſecundum voluntatem & legem Dei viuant, duæ potiſsimum rationes oſtendunt. Prima, quia præter genera-

lia creationis & ſuſtentationis beneficia, etiam ſpiritualia adepti ſunt. Secunda, quia finis incarnationis filii Dei, & noſtræ per eam redemtionis, eſt, vt à peccato liberati, à maledictione legis exemti, & in gratiam DEI reſtituti, conformitati cum DEO ſtudeamus, & templum eius ſanctum ſemper maneamus.

LIV.

Quod verò non ſuſtulerit Chriſtus obligationem ad obedientiam, id præterea conuincit, quod ipſe confitetur ſe non veniſſe, vt ſolueret legem, ſed vt legem adimpleret.

LV.

Impleuit autem legem Dominus, non ſolum in ſe, vel quia eam obedientiam, quam lex efflagitat, integrè pureq; præſtitit, vel quia pœnam noſtris peccatis debitam in ſe tranſtulit, plenamque exhibuit ſatisfactionem: ſed etiam, quia eam ab erroribus & corruptelis repurgauit, vera eius intelligentia reſtituta. Et ne inanis ſit ſonitus illa promulgatio, ſuo ſpiritu eam in nobis inchoat, vt imago illa Dei, in qua initio ſumus conditi, paulatim in nobis innouetur, donec tandem in altera vita integra fiat & conſummata.

LVI.

Certum ergò eſt, non parum erroris eſſe, in eorum dogmate, qui à ſchola Dei, qui paruulis & manſuetis fidus eſt doctor, depulſi, & vagis ſuis ſpeculationibus ſurſum & deorſum raptati, legem Dei ex Eccleſia eiiciunt.

LVII.

Sed ne videantur ſine ratione agere, ſcripturam

ram

ram proponunt, & ex ea arma, quibus pugnent, mutuantur. Crebrò hæc in ore habent. Non estis sub lege, sed sub gratia, Rom. 6. 14. Item, Iusto lex non est posita, 1. Tim. 1. 9. At idem Apostolus affirmat, nos debitores esse non carni, ut secundum carnem viuamus, Rom. 8. 12.

LVIII.

Addunt. Lex per Mosen data est, gratia & veritas per IEsum Christum, Ioh. 1. 17. At idem Dominus legem citat & interpraetatur. Apostoli etiam fulmina legis vibrant in suis scriptis. Legem, inquit Paulus, inanem reddimus per fidem? Absit. Imò legem stabilimus, Rom. 3. 31. Et Iohannes. Nouam doctrinam non trado vobis, sed doctrinam veterem, quam videlicet habuistis iam inde à principio, 1. Ioh. 2. 7. Vbi autem sufficit gratia, non fit obligatio ad obedientiam, & ideo idem spiritus sanctus apud Apostolum inquit, qui mortuus est, liber est à peccato, Rom. 6. 7. Item, ita etiam vos colligite, nempe vosipsos tum mortuos esse peccato, tum vnà viuere Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum.

LIX.

Afferunt item illud. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ repositi, Col. 2. 3. Iam ante ostensum est, ad doctrinam Christi, pertinere etiam legem, vt alteram eius partem.

LX.

Vera & vsitata est responsio, de lege Ceremoniali & forensi, quòd ea abrogata sit, quoad obedientiam, nec habeat vim obligandi, exhibito Christo, & abolita politia iudaica.

Ac

LXI.

Ac clara ſunt ſcripturæ teſtimonia, quæ docent leges Ceremoniales & forenſes, poſt oblatum in cruce Chriſtum, non habere rationem legum, nec quenquam obligare amplius ad obedientiam. Id oſtendit, quod notum ſatis eſt, Hebr. 7. 11. Si conſummatio per Leuiticum ſacerdotium erat, quid neceſſe erat, alium exoriri ſacerdotem, ſecundum ordinem Melchiſedech? Ac ſunt alia teſtimonia paſsim.

LXII.

Nec obſcura eſt mutationis huius cauſa, ex ipſo legiſlatoris conſilio, quo ad eas ferendas adductus eſt. Voluit gentem Iſraëliticam à reliquis populis, uſq; ad promiſsi Meſsiæ aduentum, diſtinctam eſſe, ex diuerſa Ceremoniarum & politiæ forma. Poſt exhibitum Meſsiam, tollendum erat illud diſcrimen, & omnes gentes in vnitatem Eccleſiæ colligendæ, vt docet Apoſt. Eph. 2.

LXIII.

Ac ſolent fines, cur politia Moſaica eſſet conſtituta, hoc modo recenſeri. 1. Vt illa politia eſſet officina patefactionum diuinarum, & certus locus, in quo Deus, edito verbo, & additis ingentibus miraculis, ſeſe patefaceret, & de doctrina ſua teſtimonium perhiberet. 2. Vt eſſet Academia ſeu ſchola, & certa ſedes doctrinæ, in qua omnes homines poſſent audire & diſcere doctrinam à Deo traditam. 3. Vt eſſet bibliotheca in qua aſſeruarentur libri Prophetici, & natiua interpretatio ſcripturæ purè, & ſine corruptela, ſonaret. 4. Vt eſſet certa ſtirps, ex qua naſceretur Chriſtus

&

& locus vbi doceret, ederet miracula, offerret se pro salute hominum, & resuscitatus se viuum repræsentaret.

LXIV.

Quod si Typi illi, imagines & figuræ, quæ promissiones erant de exspectato redemptore, & digitum intendebant in stirpem & locum natiuitatis eius, adhuc vigerent, & versarentur ob oculos, satis confirmari animi nostri non possent, quin opiniones Iudæorum reciperent, qui Messiam adhuc exspectant, & exhibitum negant.

LXV.

Sunt quidem non pauca dicta scripturæ, quæ Iudæi pro sua sententia citant, & ea maximè vrgent, quæ regno & Ceremoniis perpetuitatem tribuunt. vt Gen. 17. 13. de circumcisione. Exod. 12. 17. de Paschate. Exod. 31. 16. de Sabbato. Leuitic. 24. 3. & Num. 18. 8. de oblationibus. Et 2. Sam. 7. 13. de domo Dauidis. Sed non fascinatis falsa opinione, aut contumaciter defendentibus errores, facilis responsio est. Dictio עלם quæ istis locis vsurpatur, non semper significat absolutam perpetuitatem, sed tempus limitatum aliquando, & cum certa conditione terminabile. Et quomodo sumi debeat significatio, & iis quæ adiiciuntur, intelligi potest. Ita Exod. 22. 6. Deut. 15. 17. & alibi, accipitur pro circumplexu durationis vitæ humanæ. At Genes. 21. 33. Psalm. 145. 13. Iesa. 40. 28. quia de Deo & eius filio accipitur, pro æternitate infinita vsurpatur.

LXVI.

Quod ex octo postremis capitibus Ezechiel. obiici-

obiicitur, de descriptione noui templi, vrbis, regni & sortionis terræ, tempore Mesiæ implendæ, ex consuetudine scripturæ, qua vtitur in phrasibus & sermone, de regno CHRISTI, expediri, sine magna difficultate, potest. Nam cum de reditu ex Babylone, qui spiritualis liberationis imago fuit, agit, vnà complectitur promissionem de missione Messiæ, nec principia tantum regni eius, id est, collectionem Ecclesiæ noui testamenti attingit, sed & eius consummationem, hoc est, glorificationem, beatitudinem, immortalitatem, & vitam cœlestem vnà comprehendit.

LXVII.

Quod pro forma Reipublicæ, quæ erat apud Iudæos constituta, retinenda affertur, non posse meliorem aut iustiorem reipublicæ constitutionem esse, quam quæ à Deo ipso est præscripta, ita admitti debet, vt quomodo illam constitutionem, & quam diu seruari voluerit, consideremus. Neque enim aliis populis quam Iudæis eam præscripsit, nec ideò præscripsit vt semper duraret.

LXVIII.

Nam vt illa Ceremoniarum excercitatio ad pietatis quidem doctrinam propriè pertinebat (vtpote quæ Iudæorum Ecclesiam retinebat in Dei cultu & religione) ab ipsa tamen pietate distingui poterat: Ita hæc iudiciorum forma, (quamquam aliò non spectabat, quam vt in suo vigore esset & optimè seruaretur ipsa charitas, quæ æterna Dei lege præcipitur,) ab ipso tamen dilectionis præcepto distinctum quiddam habebat.

LIX.

Quemadmodum ergò, salua & incolumi pietate,

tate, ceremoniæ, quarum tanta erat varietas, tamque multiplex copia, abrogari potuerunt: ita &, iudiciariis his constitutionibus sublatis, perpetua caritatis officia & præcepta manere potuêre.

LXX.

Neq; tamen ita sublatæ sunt leges forenses Mosis, vt non liceat magistratui, si commodum videtur, inde aliquid mutuari, sicut etiam ex aliarum Rerumpub. legibus, modò non ideò recipiantur, quasi aliqua necessitas subsit, & propterea vrgeantur, quia per Mosen præceptum sit hoc populo Iudaico.

LXXI.

Ac si quis conferre leges vel constitutiones Imperatorum, Regum, Principum, Magistratuum Christianorum ex codice, lib. Digest. seu Pandect. Nouel. constit. opere, aut aliis, apud varias gentes, legum bonarum libris, cum hisce iudicialibus Dei legibus, fateatur oportet magnam esse in multis similitudinem & conuenientiam.

Atq; hæc, hoc tempore, à nobis allata sint, patefaciendi aditus gratia ad planiorem Decalogi intelligentiam.

